

se ostenderet. Sanè in cit. cap. *Jacobus*, expressè reprobantur etiam convivia, & prandia in Canonicorum ingressibus paranda, & meritò quidem; cum hæc neque in Ecclesia, aut Sacrarum beneficium, nec in usus pios cedant, sed privatorum solatio, & voluptati deserviant. Verùm, cum magnæ plerumquè difficultates occurrere soleant in receptis usibus abolendis, ubi præsertim antiqua consuetudine nitantur; haud inopportunum erit hic annotare, quod, præter veterem quamdam causam *Polinianen.* in dicta Congregatione Concilii judicatum anno 1584. de qua *lib. 4. decretor. p. 9.* altera quoque, cujus titulus erat *Brugen.* majore partium studio ibidem proposita fuit die 13. Augusti 1729. & die 3. sequentis mensis Septembris definita, in qua dictum fuit, tolerari posse consuetudinem ab immemorabili tempore vigentem, ut novus Canonicus cæteros Capitulares convivio excipiat; dummodò id spontè ab eo fiat, & moderatè frugalitatis leges serventur; ut videre licet *tom. 4. Thesaur. Resolut. pag. 336. & pag. 342.* item *tom. 5. pag. 54. §. Consuetudo.* Et in eandem sententiam resoluta fuit alia causa *Leodien.* proposita die 18. Julii 1733. & relata in *ejusdem Thesauri tom. 6. pag. 141.* Quorum decretorum æquitati magnoperè suffragatur tenor cap. *Sanè, inter Extrav. commun. de simonia.*

CAPUT VII.

De aliis quibusdam Consiliis à probis Viris optimo sanè studio propositis, quæ tamen in Synodalibus constitutionibus adoptata, odiosam novitatis speciem induissent; ubi de Cantoribus Eunuchis, ac de musica, & instrumentis musicalibus, in Ecclesia tolerandis, vel prohibendis; item de lacte infantibus præbendo; & de Sectione Cæsarea.

Hoc etiam proculdubiò ad Episcopi officium pertinet, ut Synodalibus decretis Ecclesiasticæ musicæ rationem, quatenus in Dioecesi sua opus esse cognoverit, ad certas regulas exigat atque componat; ut corda Fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicuti fit in theatris, inani voluptate demulceat. Quæ hac de re in nonnullarum Dioecesium Synodis constituta sunt, collecta leguntur apud *Van-Espen Jur. Eccles. univers. part. 2. tit. 5. cap. 9. n. 27. & seq.* Quid autem in sua Ecclesia servandum instituerit S. Carolus Borromæus, videri potest in illius Concilio Mediolanensi I. §. 51. t. 10. Collectionis Harduini col. 687. De hac ipsa re in Synodo Avenionensi, anno 1594. habita t. 35. de cantu Ecclesiastico, hæc leguntur cit. tom. 10. col. 1856. *Musices numeros ad pietatis sensum permovendum salubriter adhibet Ecclesia. Quapropter ejus studium in cunctis Ecclesiis non solum permittimus, verùm in dies augescere optamus. Ea tamen observatio habenda erit, ut non ad modulos profanarum cantionum tum Psalmi, tum cætera Ecclesiastica occinantur.* Nos autem in una ex nostris Epistolis encyclicis, quæ impressa est *Bullar. nostri t. 3. n. 3.* plura congesimus, ex Patribus, Conciliis, & Eccle-

sias-

LIBER XI. CAPUT VII.

siasticæ Historiæ monumentis desumpta, quæ ad materiam hanc illustrandam opportuna judicavimus, quæ sanè plerisque piis viris haud ingrata fuisse accipimus, sed tum ante illius Epistolæ editionem, tum etiam deinceps nonnullos fuisse novimus, qui pietatis studio incensi, summo conatu, licèt hucusque irritò, Episcopis suadere curaverunt, ut in Synodalibus constitutionibus novam insererent sanctionem, qua eunuchi cantores ab Ecclesiasticis concentibus excluderentur; quod, & irregulares plerumquè sint hujusmodi homines, cum nemo ferè eunuchus fiat absque peccato; & ex tali prohibitione facilè eventurum esset, ut tolleretur abusus evirandi pueros; cumque præterea dicerent, molles Eunuchorum voces plurimum in causa esse, ut Ecclesiarum cantus ad theatrales modulos maximè accedat; neque verò impossibile esse, eorum vocibus alias, puerorum præsertim, voces Ecclesiasticis Choris magis aptas subrogare.

II. Celebris profectò est magni Nicæni Concilii canon primus, qui sic habet: „Si quis à Medicis propter languorem defectus est, aut barbariis abscisus, hic in Clero permaneat. Si quis autem se ipsum sanus abscidit, hunc, & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant, audentque semetipsum abscindere, dictum sit; sic eos, quos aut barbari, aut domini castraverunt, si inveniuntur aliàs dignissimi, tales ad Clerum suscipit regula.” His consona omninò sunt, quæ statuta leguntur in antiquissimis Canonibus, qui Apostolorum dicuntur, *can. 20. & tribus sequent.* ubi nempè cuilibet intelligere licet, casum à casu distingui; nimirum eos, qui, aut Medicorum

Tom. II.

præcepto, & morbi necessitate sic exigente, evirati sint, aut qui hanc violentiam à barbaris perpassi fuerint, neque dejici à Clericali gradu, quem obtinebant, neque ab ingressu in Clerum arceri; contra verò, eos, qui ultro se absciderint, aut abscindi permiserint, si Clerici fuerint, expellendos, si autem ordinari se postulent, nusquam promovendos edici. Hoc ipsum apertè jubent plures decretales Epistolæ Romanorum Pontificum, quæ extant in Collectione Gregorii IX. *tit. de corpore vitiatis ordinis, vel non.* Neque desunt in corpore Juris Civilis severissimæ Leges adversus eas editæ, qui sibi spontè aut aliis, injuriam hanc inferre ausi fuerint. Videantur *l. 3. §. Qui hominem. & l. 4. §. Idem ff. ad L. Cornel. de sicar.* Pluraque de hoc argumento videri possunt eruditè collecta à Christiano Lupo, à Joanne Cabassutio, & recentius à Josepho Cathalano Presbytero in *notis ad cit. canonem primum Concilii Nicæni.*

III. Nihilominus inter Auctores morales proximè præteriti sæculi orta & agitata fuit controversia, an, posito hujusmodi casu, quò pater filium eunuchum fieri permittat, neque filius dissentiat, & Medici nullum in evitæ periculum fore affirmant, id autem in eum finem unicè fiat, ut filius inter Ecclesiæ cantores adscribi, & majore vocis suavitate officium hoc exercere valeat, atque ita honestum sibi victum parare; an, inquam, his omnibus circumstantiis simul concurrentibus, talis filii eviratio sine peccato fieri possit. In quo Pasqualigius *quæst. 498.* affirmativam sententiam amplexus fuit. Sed vicit apud plerosque, & facta est communior opinio negans. Inter Theologos morales legi possunt Cardinalis de Lugo *de Justitia & Jure, tom. 1. disp. 10. sect. 1. num. 23.* Hurta-

D

do

do *Resol. moral. tom. 2. tract. 12. cap. 1. difficul. 1. num. 757. & seq.* Gibalinus *de universa negotiatione tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 3. num. 13. & seq.* Thesaurus *de penis Ecclesiae part. 2. cap. 1. in verb. Membrorum mutilatio, §. Amplia secundo*, Theophylus Raynaudus *Oper. tom. 14. in illo, cui titulus Eunuchi nati, facti, mystici, cap. 5. §. 5. per tot. Diana in edit. coordin. tom. 1. tract. 7. Resol. 130. num. 3. Coton. Controver. lib. 5. cap. 3. num. 103. & 104. Leander Oper. moral. tom. 9. tract. 3. disp. 4. quest. 12.* Præterea videri possunt Canonistæ scribentes *in cap. Ex parte, de corpore vitiatis, &c.* ut putà Gonzalez ibi *n. 5. Engel n. 12. Conink num. 5. Wiestner num. 22. Schmalzgrueber num. 5.*

IV. Et quidem validissima est ratio, cui horum sententia inaititur. Homo enim non ita membrorum corporis sui dominus est, ut assentiri valeat abscissioni alicujus ex illis, præterquam si totius corporis salus, & conservatio aliter obtineri nequeat; ut de leprosis testatur Aetius *lib. 13. c. 125.* quod per virilium amputationem ab exitiali hujusmodi morbo liberentur. Ita docent Theologi, duce S. Thoma *2. 2. quest. 65. art. 1.* quem egregiè illustrat Sylvius *in Comment. ad eundem art. 1. conclus. 2.* Quare nec prætermissa necessitas parandi sibi victum, nec laudabile propositum inserviendi Ecclesiae in cantoris officio, satis justam rationem aut causam suppeditant, ad excusandam à peccato ultro-neam hominis evirationem. Gravissima porrò censura damnatum olim fuit Leontii Presbyteri factum, qui apud Episcopum suum Eustatium accusatus, quòd cum puella quadam, nomine Eustolia minùs honestè ageret, ideoque ab illius consuetudine abstinere

jussus, ut se ab omni turpitudinis suspicionem vindicaret, se ipsum abscedit; uti testantur S. Athanasius *in Apolog. de fuga sua propè fin. Socrates Hist. lib. 2. cap. 21.* Theodoretus *lib. 2. c. 24.* Nec aliter judicatum est de Origenè, qui verum sensum non assequutus Evangelici illius textus: *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum;* quo sibi liberum & tutum esse mulieres etiam sacris disciplinis instruere, medicamine sumpto, eunuchum se reddidit, itaque Demetrii Alexandrini Episcopi sui iudicio à sacra Ordinatione repulsus fuit; quàmquam deinde, falsis ejusdem Demetrii testimonialibus litteris sibi procusis ad Cæsariensem, & ad Hierosolymitanum Episcopos se contulit, à quibus sacros Ordines, & Presbyterium obtinuit, quod simulatum, & dissensionum inter hos, & Alexandrinum Episcopum causa fuit, uti narrant Eusebius *Hist. Eccles. lib. 6. S. Epiphanius hæres. 64. lib. 2. S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiast. in Alexandro.* Plura de hac re collegit Binghamus, Auctor heterodoxus, *Origen. seu Antiq. Eccles. tom. 2. lib. 4. c. 3. §. 9.* Inter Pontificias Decretales relatas sub titulo *de corpore vitiatis*, una est Alexandri Papæ III. quæ incipit *Significavit*, ad Archiepiscopum Ravennatem conscripta, cui permittit Pontifex, ut, misero cuidam Presbytero, qui stultè putans obsequium se præstare Deofecerat sibi virilia amputari, Sacerdotalis officii exercitium, excepto tamen Altaris ministerio, concedere valeat; quod ita intelligitur, ut benedicendi, & Sacramenta Baptismi, Penitentiae, ac Extremæ Unctionis administrandi licentiam ipsi impertiri posset; sed an, ex ejusdem Indulti vi, officium Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere posset, controvertitur inter Canonistas, quorum tamen plu-

rini negativam opinionem tuentur, ut videre est apud Layman *in Comment. ad cit. cap. Significavit.* Videatur etiam Thomassinus *de Benefic. tom. 2. lib. 1. cap. 83. numer. 7.*

V. Hæc omnia pleno quidem robore subsistunt; neque enim immutata est Ecclesiae disciplina, quæ irregularitatis notam inurit eunuchis, qui extra necessitatem salvandæ vitæ, mutilationi suæ assensum præbuit; neque à peccato immunis, juxta communem sententiam paulò ante expositam, habendus est ille, qui præter ejusmodi necessitatis casum, id agit, etiam ad conservandam vocis suavitatem, & ut idoneus Ecclesiae cantor evadat. Unde, etiamsi adhuc in usu esset, quod olim servatum fuit, ut nemo castrari posset, nisi de licentia Episcopi; quemadmodum ex Theodoro Balsamone colligitur, & refertur per Janum à Costa *ad tit. Decretal. de corpore vitiatis*; ac per Thomassinum *de Benefic. part. 2. lib. 1. cap. 82. n. 5.* crederemus, Episcopum nequaquam hujusmodi licentiam concedere posse ob eum finem, ut idoneos cantores sacris Ecclesiae concentibus compararet; urget enim semper in oppositum aducta ratio, numquam licitam esse membrorum humani corporis amputationem, atque jacturam, nisi eum eorum corpus alia ratione ab interitu vindicari nequit; nec sufficientem esse causam ad id faciendum, sive mandandum, aut permittendum, quod Ecclesiae Chorus acutis vocibus opus habeat. Verumtamen quod hîc quaerimus, hoc demùm est: an in præsentibus rerum ac temporum circumstantiis, cum nempe secularis potestas, quidquid civiles leges contrà statuerint, haud infrequentes puerorum evirationes impunè fieri, saltem dissimulando, permittit, nec amplius ad id Episco-

porum licentia postulatur; cum in Ecclesiis jam pridem invecta est ea musica ratio, quæ vix, aut ne vix quidem, absque eunuchorum vocibus sustineri valet, cumque istorum voces in Ecclesiarum concentibus, & quidem in ipsa Romani Pontificis Cappella, à multo jam tempore audiri consueverunt; an, inquam, in his circumstantiis prudenter se gereret Episcopus, qui Synodali decreto à Choris musicis Ecclesiarum suarum eunuchos cantores eliminaret: an verò per hoc in hominum reprehensionem, & odium, non sine publicæ tranquillitatis perturbatione, tamquam importunæ novitatis auctor meritò incurreret.

VI. Ad hos itaque terminos redacta quaestionis summa, non admodum difficilis videtur esse responsio; eaque, pro nostra quidem judicandi agendique ratione; piorum ejusmodi virorum studiis atque consiliis, de quibus initio dicebamus, contraria esse deberet, hac saltem de causa, ne Episcopus, cui populorum amor ad munus suum utiliter gerendum maximè necessarius est, eorum animos à se ultrò abalienare, sibi que molestias, & offensiones sine causa parare velle videatur. In hac nos sententia duæ res confirmant, de quibus in citata nostra encyclica Epistola fusiùs egimus. Una est, quod, cum in Concilio Tridentino à quibusdam Episcopis Ecclesiasticæ disciplinæ studiosis propositum fuisset, ut cantus musicus ab Ecclesiis omninò tolleretur, nec nisi Gregorianus canendi modus in ipsis retineretur; cum tamen alii rectè animadvertissent, per hujusmodi novitatem innumèris querelis atque perturbationibus aditum apertum iri, hoc denique consilium captum fuit, non ut musici cantus in Ecclesiis prohiberentur, sed ut, certis propositis regulis, ad pietatis, & gravitatis normam reformarentur. Al-

tera est, quæ paucis ab hinc annis examinata fuit quæstio de usu organorum, aliorumque instrumentorum musicorum, quæ scilicet ab aliquibus optimo zelo ductis, ut in prædicta nostra Epistola innuimus, ab Ecclesiis removenda esse dicebantur; in quo quidem Pontificii Sacelli nostri, ac Metropolitanæ Lugdunensis Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum, in quibus eorum usus nunquam receptus fuit, exempla ipsi favent. Sed cum alii pro organo, aliisque instrumentis in Ecclesiarum musica retinendis, pari studio certarent; & satis appareret, quam difficile futurum esset eorum usum tollere ab iis Ecclesiis, in quibus jam pridem invectus erat, satius visum est, mediam viam tenere; nec omnia scilicet musica instrumenta in Ecclesiis permittere, nec omnia prohibere; sed, organo, aliisque nonnullis instrumentis retentis, ea dumtaxat ab Ecclesiarum choris eliminare, quæ theatricalibus ludis potius, quam sacris locis, & actionibus, convenire visa sunt; ut in eadem Epistola nostra distinctius declaratum per Nos fuit.

VII. Ab his duobus exemplis sapiens Episcopus colligere poterit, optimum omnium consilium fore, non ut ab Ecclesiarum musica eunuchorum voces removeat, sed ut potius caveat, ne theatrales modi ad Ecclesiasticos concentus transferantur, neve theatricalibus instrumentis Ecclesiæ personent. Contra vero, si qui ex Ecclesiæ Cantoribus Clerici sunt, ne hi in scenam ascendant; quod religiosissime observatur à musicis Pontificiæ Capellæ. Denique, si eam in Dioecesi consuetudinem invenerit, ut musici in Ecclesiis, etiamsi Clerici non sint, superpellicio induti, officio fungantur, vel eam, ut hominum aspectui canentes non pateant, sed post transennam, seu cratem choro præfixam,

sese contineant, laudabiles huiusmodi mores inviolatos servari, studiosissime curet.

VIII. Illud denique cavendum est Episcopo, hac præsertim ætate, qua revixisse videntur viri illi Athenienses, de quibus *Actorum cap. 17.* dicitur: *Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi;* de scilicet istiusmodi hominum suasionibus ad ea attentanda indicatur, quæ licet Ecclesiasticam disciplinam non respiciant, civilis tamen reipublicæ instituta, communemque vivendi rationem invertunt. Rem enarravimus, quæ paucis antea annis Nobis contigit. Infantes spurit, quos *projectos* dicimus, ad hospitale domicilium civitatis Bononiensis delati, interdum à nutricibus alebantur, celtica lue, aliisque contagiosis morbis infectis; ex quo fiebat, ut miseri illi pueruli luem unâ cum lacte sugentes, aut citò interirent, aut perpetuò ægrotarent. Ad prospiciendum tot innocentium infantium indemnitati, alium non suppetere modum, fuit Nobis insinuatam, quam illos inutrire lacte caprino, aut vaccæ, quod maximam analogiam habere cum succo, quo foetus humanus alitur in utero matris; ostendit egregius Physicus Cyrillus in *notis ad Etmullerum edit. Neapol.* Quo verò magis ad ejusmodi consilium cappessendum Nos inducerent, illius auctores Nobis exhibere formam vasis affabrè elaborati, per quod lac infantium ori poterat commodè instillari. Fuerat autem illud vasculum, jubente supremo Galliæ Senatu, ubi de eadem re erat deliberandum, adinventum, & delineatum à Regio Architecto Du-Val. Vidimus præterea libellum, Gallico idiomate conscriptum, cui titulus: *Traité de la communication des maladies,*

& des passionis; ejus Auctor pluribus argumentis probare conatur, plurimum expedire reipublicæ felicitati, ut omnes prorsus infantes à capra potius, aut vacca enutrientur, quam à matre, aliave muliere, ne pravus animi affectionibus, quibus mulieres plerumquæ scatent, imbuantur. At, qui ita ratiocinantur, non animadvertunt, se injurios esse in naturam ejusque Auctorem, cujus summa providentia, non alia certè de causa, voluit, ut in ipso puerperio matris ubera lacte intumescerent, nisi ut inde nata proles vitæ caperet alimentum. Haud equidem inficiamur, lactis qualitatem ab infantibus hausti, plurimum conferre ad eorundem mores in bonam, aut malam partem inclinandos; quod benè advertit Cornelius Alapide in *cap. 2 r. Genes. vers. 7.* sed hoc eodem argumento conficimus, non esse brutorum lacte enutriendos, ne brutorum affectiones in se derivent, brutalesque induat mores; ad quod alludit Ovidius, cum ait: *Nec lac bibit ille leone;* & Virgilius: *Hircanæque admorunt ubera tigres;* quæ omnia ad rem ponderavit Mapheus Vegius Laudensis in suo Opere *de liberorum educatione lib. 1. cap. 4.* Quamobrem, ne violaremus instinctum non solis hominibus, sed & cæteris animantibus à natura inditum, inter quæ nullum sanè erit reperire, à quo genita proles relinquatur enutrienda alterius speciei bruto, curavimus quidem, ut nutrices perfecta fruenter valitudine prædictos infantes lactarent; sed præstitum Nobis à novitatum studiosis consilium ad tempus rejecimus, quo nutrices inveniri nequeant; & necessitas urgeat in earum dem locum subrogandi vaccas, seu capras; quod evenisse Romæ, cum sæva ibi grassaretur pestilentia, narrat Cardinalis Gastaldus in suo tract. *de avertenda,* & Tom. II.

profiganda peste cap. 4. numer. 3. & 4.

IX. Plures etiam audivimus Episcopo insinuantes, ut gravi precepto compellat matres ad proprios filios suis uberibus lactandos; neque istorum insinuatio, ritè expensa, deprehenditur prorsus irrationabilis, etenim non solum Ecclesiæ Patribus, sed etiam ethnicis Philosophis turpe, & abusum visum est, ut mater filium, quem in utero aluit, postquam peperit, alteri tradat enutriendum. Illas certè reprehendit Phavorinus Philosophus apud Aulum Gellium *Noct. Articar. lib. 12. cap. 1.* inquit: „Quod est enim hoc „contra naturam imperfectum, atque „dimidiatum matris genus, peperisse, „ac statim ab sese abjecisse? Aluisse „in utero sanguine suo nescio quid, „quod non videret; non alere nunc „suo lacte, quod videat jam viventem, „jam hominem, jam matris officia im- „plorantem?” Easdemque impietatis insinulat Messala apud Tacitum *dialog. de orat.* Ex Patribus verò S. Ambrosius *lib. 1. de Abraham cap. 7. num. 63. tom. 1. Oper. col. 303.* ex eo quod Sara lactaverit filium, infert: „Provocantur foeminae meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. „Hæc enim matrum gratia, hic honos, „quo filios propriis commendent viris.” Et Gregorius Magnus *lib. 11. epist. 64.* ad Augustinum Anglorum Episcopum in respons. ad interrogat. 10. tom. 2. Oper. col. 1158. respondit „pravam consuetudinem effecisse, „se, ut mulieres filios, quos gignunt, „nutrire contempnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod „videlicet (addit) ex sola causa in- „continentiæ videtur inventum; quia, „dum se continere nolunt, despiciunt lactere quos gignunt.” Eodem modo loquuntur Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pedagog.* Chrysostomus

mus *hom. de nativ. Machab.* alique Patres, quos adducunt citatus Maphæus, Vegius Laudensis *de liberor. educat. lib. 1. cap. 4. in Biblioth. maxim. Veter. Patr. tom. 26.* Cornelius Alapide *in cit. cap. 21. Genes. vers. 7.* Theophilus Raynaudus *de Agno cereo cap. 5. num. 1. Oper. tom. 10.* Natalis Alexander *in Theolog. Dogmatica Moral. de Sacram. Matrim. lib. 1. cap. 5. §. 2. regul. 17.*

X. Quamobrem nonnulli Theologi, apud laudatum Alapide, à gravi culpa non excusant matrem, quæ absque legitima causa se subtrahit ab onere, sibi à natura imposito, propriam lactandi prolem, quod observante Magno Basilio *hom. 9. in ex. ameron*, nulla quantumvis crudelissima fera subire detrectat; sed melius Navarrus *Manual. cap. 14. num. 17.* cui subscribit Alapide, illam solius peccati venialis ream facit; urgente verò legitima causa ab omni culpa absolvit.

XI. Cùm autem, non una, sed multæ occurrere queant legitimæ causæ, propter quas matres licet se à prædicto onere subducunt, ut putæ, si lacte careant, si mala afficiantur valetudine, si numerosa indigeant prole, & propterea huic procreandæ, priusquam consenscant, operam dare cupiant; idcirco Episcopus, ne novatoris notam obtineat, abstinere debet à præfato præcepto ferendo; sed potius nobiles, & divites mulieres, à quibus dumtaxat solent filii lacte enutriendi nutricibus tradi, seriò monebit, aque hortabitur, ut sanctissimas foeminas imitentur, quæ suis uberibus filios lactarunt, uti Sara Isaac, Rebecca Jacob, Anna Samuelem, ac ipsa Dei Genitrix Sanctissima Virgo Maria Filium suum Christum Dominum. Quæ de re Natalis Alexander *loc. nup. cit.* ita scripsit: *Christianas mulieres adhortari operæ pretium est, ut filios suos*

propriis lactent uberibus, non alienis nutricibus tradant.

XII. Fuerunt etiam, qui abolendum in partu proponerent usum sectionis cæsareæ, per quam nempe, mortua muliere gravida, si foetus in illius utero adhuc vivere judicetur, chirurgica manu extrahitur, ut baptizetur, ejusque nutritioni, ac vitæ omni ratione consulatur. Auctores autem citabant hujusmodi sectionem respicientes, eamque veluti sævam, & inutilem condemnantes, videlicet Parræum, Guillemæum, Ronfilium, Hornium, Mauricæum, aliosque asserentes, fieri non posse, ut foetus post matris mortem vel uno temporis momento vitam producat, cùm is unâ cum matre interire necessariò debeat; quæ sententia est Gasparis Babuini, Roderici de Castro, Merii, aliorumque nonnullorum de rebus anatomicis scribentium. Nos tamen istorum consiliis obsecundandum Nobis esse non duximus; quinimmo injungere, & inculcare non omisimus, ut, quoties mulier aliqua decederet, quæ foetum in utero vivum habere crederetur, hic, cùm primùm posset, per sectionem cæsaream ab illius corpore extraheretur.

XIII. In quo non modò Juris Civilis auctoritatem præ oculis habuimus; cùm in *l. Vetat. ff. de mortuo inferendo*, ita scriptum sit: *Vetat, seu, juxta aliam lectionem, Negat Lex Regia, mulierem, quæ pragnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur. Is, qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur;* verùm etiam in primis nostrorum Theologorum doctrinam sequuti sumus, quorum dux est S. Thomas *3. part. quest. 68. art. 11. ad tertium ubi ita scribit: Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* Hoc idem disertè præscribit

Ri-

Rituale Romanum *tit. 7. de baptizantis pueris §. 3.* Item Instructio à S. Carolo edita pro recta administratione Sacramenti Baptismatis *sub tit. de iis, quæ Parochus curet, cùm timetur de partu, Actor. Eccles. Mediol. part. 4. pag. 502.* ac Rituale Cardinalis Sanctorii *lib. 1. pag. 18.* prout etiam aliud promulgatum à Cardinali de Rohan *de Baptismo num. 5.* Et sanè ubi reverà mortua sit mater, & vivus putetur foetus in illius utero inclusus, nullus gravis Auctor inveniri poterit, qui sectionem cæsaream utpotè crudelem; aut inutilem, damnet; præsertim cùm plura exempla suppetant vivorum foetuum è matrum defunctarum corporibus ea ratione extractorum; quorum aliqui tandiu vitalem spiritum duxerunt, donec Baptismi lavacro ad meliorem vitam regenerari potuerint; alii verò longius vixisse, & ad virilem ætatem, ac etiam ad senectutem pervenisse dignoscuntur. Videatur hæc de re, ex Theologis quidem Theophilus Raynaudus *tom. 14. Operum in Tractatu, cui titulus de ortu infantium per sectionem cæsaream cap. 2.* ex Medicis verò, Auctor *Lexici universalis rei Medicæ*, quod Anglico primùm sermone conscriptum in Gallicam linguam translatum habetur, *tom. 2. in verb. Cæsarea Sectio*, item Heisterus *Institutionum Chirurgicarum tom. 3. part. 2. sect. 5. cap. 3. pag. 70. editionis Neapolitanæ anni 1749.* Ad comprobendam verò utilitatem & necessitatem sectionis cæsareæ, cùm præsertim; defuncta matre, conijcere licet, illius prolem in utero extinctam non esse, peculiarem Librum edidit Franciscus Emanuel Cangiamia, impressum Pañormi anno 1745. in quo solidis argumentis, & multa eruditione susceptam causam agere non prætermisit. Porrò in regestis Gre-

gorii Papæ IX. quæ in Scriptoriis Vaticanis asservantur *ad annum 2.* adest illius Pontificis epistola 20. ad Doctores Facultatis Theologicæ Parisiensis conscripta, quæ etiam impressa legitur in Annalibus Raynaldi *ad annum 1228. num. 29. & seq. & apud Buxæum tom. 3. Historiæ Universitatis Parisiensis ad dictum annum*, in qua magno zelo & doctrina invehitur in eos, qui philosophicis subtilitatibus, & incertæ semper naturalium rerum scientiæ innixi positos à Patribus terminos transferre, probatasque sacris Pastoribus; atque Theologia agendi regulas immutare præsumunt.

CAPUT VIII.

De censoria nota nimis severitatis, Synodalibus constitutionibus falsò interdictum inusta; ubi de præscribenda veste oblonga, & nigri coloris Clericis in sacris constitutis, aut beneficium Ecclesiasticum possidentibus.

Plures Synodales Constitutiones sunt in invidiam adductæ falsa criminatione nimis severitatis; quæ tamen expensæ ad sacrorum canonum normam, deprehensæ sunt eorundem rigorem potius temperasse. In nonnullis Synodis, aut Episcoporum Edictis, jussi sunt Clerici sive in Sacris constituti, sive Ecclesiasticum Beneficium possidentes, veste uti oblonga nigri coloris, quam *talarem* appellamus, adjecta poena in contumaces. Adversum has sanctiones, quas nimio rigore conspersas dictitabant, provocarunt Ecclesiastici ad sacram Congregationem Concilii; sed semper provocantes succubuerunt; quod videre est in *nostra. Instit. 71.* & in Epistola Pastoralis bon. mem. Cardinalis Lanfredini edita in civitate Æsina anno 1740. *pag. 287. & seq.* Nihil quippè vitum

D 4

est